



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An Pontifex possit reservare peccata venialia? Ex quo etiam infertur, an Superior possit reservare excommunicationem minorem? Et deciditur cæteros Superiores, & alios Prælatos inferiores Papæ non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

præcepto, præmisit: *Ego enim accipi à Domino quod & tradidi vobis.* Ergo sentit esse præceptum Dei, & non suum. *Secundo* probatur ex traditione Ecclesiæ, quæ ita hoc semper intellexit, & confertur, quod conforme est regulæ traditæ ab Augustino, *lib. 4. de Baptismo, contra Donatistas, c. 24. in principio.* Cuius verba sunt: quod uniuersa tenet Ecclesiæ, neque à Conciliis institutum est, sed semper retentum, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime credimus. Vbi per illa verba traditum Apostolica auctoritate, idem intelligit quod institutum iure diuino, vt patet ex precedentibus illis verbis: *Eis quisquam in hac re auctoritatem diuinam querat;* Præceptum autem de præmienda confessione ante Eucharistiã huiusmodi est, *Tertio* probatur ex Patribus ita intelligentibus prædictum locum Pauli, vt ex Cypriano *lib. 1. Epistolatum, epistol. 3.* & Augustino *in Psal. 118.* Chrystostomus *lib. 1. in Genesim.* Quarto probatur, quia ratio ipsa docet, ad necessariam preparationem, vt Sacramentum ita excellens sumatur, necessarium esse eum modum, qui ad gratiæ dignitatem adquirendam sit omnium certissimus; hic autem modus est Confessio sacramentalis simul cum dolore, vt si forte dolor de se solus non sufficiat ad gratiam obtinendam, cum Sacramento sufficiens sit, quod verò licet homo certus esset ex reuelatione le esse in gratia, deberet post mortale commissum confiteri. Probatur, quia non solum debet confiteri, vt sit in gratia, sed etiam vt sit in gratia conuenienter modo Ecclesiæ: Nam sicut ad ingressum Collegij non satis est, aliquem esse dignum, nisi probetur talis dignitas per ministros ipsius Collegij, ita etiam nullus est admittendus ad hanc sacramentalem, nisi dignum eum esse contet per ministros Ecclesiæ, qui sunt Confessarij: qui quidem nisi præmissa confessione penitentis, nequeunt eius dignitatem agnoscere.

4. Dicendum est igitur, quòd Ecclesiã non constituit hoc præceptum post tempora Apostolorum, vt patet ex Trident. *cap. 7.* citato, docente, Ecclesiasticam consuetudinem declarare probationem, de qua Apostolus, esse, vt conscius peccati mortalis confessionem præmittat. *Secundo*, docente reuocandum in memoriã præceptum ipsius, scilicet Pauli; igitur Ecclesiã illud non constituit post tempora Apostolorum.

5. Dices esse ipsius Apostoli. Respondeo, non dici illius, vt condentis legem, sed vt promulgantis, quòd ostendi potest. *Primo*, non est verisimile, quòd Apostolus voluisset Corinthiis parum spiritualibus tantum onus imponere, si non fuisset à Deo impositum. *Secundo*, Apostolus nunquam insinuat se illam legem condere, cum tamen communiter id indicet, quando legem condit. *Tertio*, quæ de Eucharistia tradit *cap. 11.* citato, accipit à Domino, vt docet Leo *eodem cap.* non potest autem solide dici accepisse alia, non verò istud.

6. Dices: Ecclesiã videtur in hoc præcepto dispensare, quandoquidem in quibusdam casibus liceat ei, qui sibi est conscius mortalis peccati, communicare sine præuia confessione, negando assumptum, & dico, quòd liceat in quibusdam casibus communicare sine præuia confessione, non promittere ex dispensatione Ecclesiæ; sed solum ex declaratione, quòd ius diuinum in iis casibus non obliget: potest verò Ecclesiã declarare illud in certis casibus non obligare, sicut in quibusdam aliis marertis declarat, vt quòd Episcopi in quibusdam casibus non teneantur in suis Episcopatibus reside-re. Igitur his stantibus, videtur non posse Pontificem dispensare, vt absolute aliquis in particulari,

sumat Eucharistiã cum solo actu contritionis, sine præuia confessione mortalium.

RESOL. XXXI.

An Pontifex possit referuare peccata venialia.
 Ex quo etiam inferitur, an Superior possit referuare excommunicationem minorem.
 Et deciditur ceteros Superiores, & alios Prælatos inferiores Papã non posse sibi referuare peccata venialia, Ex part. 8. tr. 1. Res. 2.

Quoad primam difficultatem huius tituli infra in Res. 35. §. 1. sursum in fine, & §. sed hæc, & in Res. 39. §. Nec obstat ratio.

§. 1. Negatiue respondent, quoad primum, Doctores, qui asserunt omnem Sacerdotem per se, & non ab Ecclesiã habere iurisdictionem super hæc peccata. Negat etiam Bordon. *tom. 1. var. resol. 37. quest. 6.* & 7. qui alioqui volebat, nec de iure diuino, neque Ecclesiastico, simplices Sacerdotes habere facultatem ab iis peccatis absoluendi. Quia simpliciter non possunt fideles obligari ad talia peccata confitenda.

Sup. hoc quod hic asseritur infra in §. 2. ad lin. 5. & an §. sed, ante mediũ, vers. Et ratio est, & in §. vi. huius Res. & infra in Res. 35 per totam & vt magis elarescat doctrina huius quest. Vide infra doctrinam Res. 37. per totam, & signanter à §. Quæro vnde, & Res. 39. à §. 1. vsque ad §. Quintus casus, & in tom. 1. tr. 4. Res. 10.

2. Hanc etiam sententiam tenent Vasquez in 3. part. *tom. 4. disput. 91. art. 2. dub. 2.* & Reginaldus *lib. 1. n. 126.* & alij, asserentes, peccata venialia non esse materiam aptam referuationis, ac proinde non posse referuari. Deinde Vasquez putat Sacerdotem quemlibet in ipsa ordinatione accipere potestatem, vt cuius possit absque vlla alia potestate illicet absolueret à venialibus, vt proinde ea non possint à Superiore referuari, cum Ordinis potestas ab eo non pendeat. Quinimò addit, etiam si concedatur præter potestatem Ordinis, necessariam etiam esse potestatem iurisdictionis; adhuc tamen dicendum esse, quòd venialia non possint referuari, quia vt inquit ipse, non quælibet negatio iurisdictionis dicenda est referuatio, sed ea tantum, per quam superior sibi referuat iudicium de aliquo peccato, vt vi illius teneatur penitens coram referuante comparere. Atqui Superior non potest ita referuare sibi iudicium de venialibus, vt pro eorum absolutione teneatur penitens coram illo comparere, cum ad eorum confessionem non possit obligari; ergo non potest illa referuare.

3. Sed contrariam sententiam, in rigore loquendo, tenet Auerfa, & merito, de *sacram. penit. quest. 17. sect. 2.* cui ego adhaereo, addo Card. de Lugo de *penitent. disput. 20. sect. 2. numer. 12.* & Coninck de *sacram. disput. 8. dub. 11. n. 80.* Mazuchellum de *cas. res. disp. 1. quest. 1. diff. 8. num. 20.* Hurtadum de *sacram. disput. 1. de penitent. difficult. 4.* non quasi possent cogi fideles ad ea confitenda, sed quia non possent de iis confiteri, & directè absolui, nisi de licentia eiusdem Pontificis. Dico igitur posse à Summo Pontifice peccata venialia referuari, ita vt referuatio hæc non iam inducat obligationem absolutam illa confitendi, sed tantum conditionatam, & suppositionis: quòd nimirum quoties illa voluerit confiteri, ea confiteatur Sacerdoti ad id approbato. Et ratio est, quia ad sacramentalem absolutionem etiam à venialibus, requiritur iurisdictionis, quam esse delegatam, & ab Ecclesiã concessam sustineo cum Suarez de *penitent. disp. 26. sect. 5. num. 9.* Coninck *disp. 8. dub. 2. n. 16.* Ergo eam potest pro libito vel concedere, vel negare, vel etiam limitare, prout voluerit; nulla enim asserri potest ratio, quare hoc non possit fieri cum iurisdictionis huiusce collatio tota pendeat à voluntate concedentis. Sic possit Superior referuare excommunicationem minorem, quæ

IN ANNE
 Omnino
 O. E. L. IV V
 E. III

tamen contrahitur per participationem, quæ potest esse tantum peccatum veniale, puta quando quis communicat cum excommunicato vitando, in cibo, potu, osculo, salutatione, aut aliis negotiis civilibus. Ita Suarez *disp. 29. de Penitent. sect. 3. num. 1.* Et hoc certum est in Summo Pontifice, qui dum potest efficere, ut aliquis Sacerdos à nullo omnino peccato possit absolueret, potest etiam efficere, ut non possit ab aliquibus absolueret. Ceterum si de aliis Prælati loquamur, porro ij videntur non posse sibi referuare peccata venialia. Et ratio est, quia cum quilibet Sacerdos nulla censura impeditus ex generali concessione Ecclesiæ habeat iurisdictionem in omnia peccata venialia, potestas hæc videtur non posse restringi à particularibus Prælati, qui communem Ecclesiæ concessionem non possunt limitare.

4. Et idem nostram sententiam de summo Pontifice præter Auersam *vbi supra* tenet Megala *de Penit. lib. 1. cap. 11. n. 6.* & Coninck *de Sacram. disp. 8. dub. 11. n. 80. vbi sic ait.* Sequitur tertio, superiorem posse etiam inferiorem priuare potestate necessaria ad absoluerendum sacramentaliter ab aliquibus peccatis venialibus, quod saltem verum est de Pontifice, quia, ut ostendi *n. 17.* quod omnes Sacerdotes ab his possunt absolueret, prouenit ex concessione Ecclesiæ, siue Pontificis, qui absolute potest efficere, ut aliquis Sacerdos à nullo omnino peccato possit absolueret. Quare etiam poterit efficere, ut non possit absolueret ab aliquibus. De reliquis verò Prælati res est satis dubia. Nam cum quibus Sacerdos nulla censura impeditus ex generali concessione Ecclesiæ habeat iurisdictionem in omnia peccata venialia; videtur hæc potestas non posse restringi à particularibus Prælati, qui communem Ecclesiæ concessionem limitare non possunt. Ita Coninck.

Sup. hoc in
fra in Ref. 15.
§. Probatur
in fine, & in
to. 1. tr. 4. ex
lata doctrina
Ref. 10. §.
penult. à lin.
4.

RESOL. XXXII.

An Pontifex possit referuare peccata mortalia interna.

Et quid circa hoc apud Religiosos, & Episcopos.
Et an Ecclesia non possit peccata merè interna afficere censuris? Ex *part. 8. tr. 1. Ref. 53.*

§. 1. **N**egatiuè respondet R. P. Bordonus in *consil. Regul. tom. 1. resolut. 37. numer. 9.* Llamas *part. 1. cap. 7. §. 14.* Cortolanus *de cas. reseruat. sect. 1. artic. 5. num. 6.* quia Ecclesia nullam ferre potest iudicium de peccatis merè occultis, & internis, *cap. erubescant. 11. distinct. 32. in fine*, occulta enim, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum, *cap. consuluiti 18. 2. question. 5.* latentia peccata vindictam non habent, *cap. fin. 32. quest. 5.* neque Ecclesia indicat de occultis, *cap. sicut mis literis 33. in fine de Simon. & cap. tua nos 34. eod. dicitur*, Nobis datum est de manifestis tantummodò iudicare. Ex his autoritatibus clarè colligitur nullum Prælatum, neque etiam Papam habere potestatem, & ius super occulta, & interna peccata, quorum castigatio, & iudicium soli Deo referuatur. Tum quia Ecclesia non potest peccata merè interna afficere censuris: ergo neque eadem referuare. Antecedens constat ex Doctribus citatis à Bosso *suprà section. 1. casu 10. numer. 107.* vbi de hæresi mentali sine excommunicatione. Tum quia cogitationis nemo penam meretur, *cap. cogitationis distinct. 1. de Penit.* Tum quia D. Thomas *2. 2. question. 104. artic. 5. di-*

Sup. hæc &
seq. doctrina
lege Ref. 22. & 29.
& §. eius
primæ not.
& pro cen-
suris con-
tentis in hoc
textu, latissi-
mè in to. 1.
tr. 1. Ref. 14.
& in tom. 6.
tr. 3. post fo-
rè tres pagi-

cit, quod in iis, quæ ad internum motum voluntatis pertinent, homo non tenetur obedire alteri, sed Deo tantum. Tum quia Legislatores non potest ferre legem de his, de quibus iudicium ferre non potest, sed non potest iudicium ferre de internis, cum sibi incognita sint, solus enim Deus est scrutator cordium; ergo non potest ferre legem referuatiõis.

2. Sed mihi placet posse maximè Summum Pontificem referuare peccata mortalia interna. Ita docet Coninck *de Sacram. disp. 8. dub. 11. n. 76.* Suar. *de Penitent. disp. 29. sect. 5. n. 3.* Valq. *in 3. part. tom. 4. quest. 91. dub. 3. Sanc. in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 8. num. 8.* Auersa *de Sacram. Penitent. q. 17. sect. 2.* Miranda *con. 2. q. 34. art. 3. concl. 1.* Quare si Pontifex vellet sibi referuare consensum voluntatis in hæresim, referuatio teneret, si diceret, Nolo ut quisquam absolueret possit ab hæresi, etiam si mente tantum sit concepta; per hæc enim verba ex eo quod intelligeretur inferiõibus sacerdotibus limitata iurisdictione, ita ut ad mentalem hæresim non extenderetur, porro hæc intelligeretur referuata.

3. Obiicit ex supradictis primò, Ecclesia non potest propter peccata interna censuras imponere, ergo non potest illa referuare. Respondeo cum Suario *loco citato*, concessio antecedente negandam esse consequentiam; Ecclesia enim non potest imponere censuras propter interna peccata, quia censura est pœna pertinet ad iurisdictionem fori contentiosi, quæ nullo modo extenditur ad actus internos; referuatio verò non est pœna, sed tantum limitatio iurisdictionis fori penitentialis, quæ per se cadit etiam in actus internos.

4. Obiicit secundo, Ecclesia non iudicat de peccatis internis; ergo non potest ea referuare. Respondeo, verum quidem esse, quod Ecclesia in foro exteriori nihil potest circa peccata interna, vnde nec potest illa specialiter prohibere, nec punire; tamen in foro interno habet iurisdictionem, ut de illis iudicium ferat: eo etiam maximè quod penitens teneatur iure diuino illa deferre ad hoc iudicium, & in eo esse accusator sui ipsius, & testis contra se. Vnde est, ut Ecclesia possit iudicium de his peccatis internis committere designatis quibusdam iudicibus, ita vti tantum possint ab iis absolueret, & non alij.

5. Et post hæc scripta inueni hanc sententiam docere etiam Amicum *tom. 5. disp. 5. sect. 5. n. 163.* vbi sic ait. Ad vnde cum negatur consequentia. Ratio discriminis est; quia potest Pontifex interna peccata sibi referuare per restrictionem iudicis potestatis absoluendi, ut in *8. tom. de Penitentia disp. 13. sect. 10.* docet. Quia restrictione facta nequit inferior Sacerdos defectu iurisdictionis ab huiusmodi peccatis absolueret. Nam et si potestas absoluendi à peccatis in Sacramentali sit à Christo Domino, illa tamen saltem quoad exercitium pendet à Pontifice, à quo pro bono Ecclesiæ regimine limitari potest. Ita ille, & ego.

6. Dico igitur, loquendo de possibili, posse Pontificem peccata interna referuare, quia non minus requiritur iurisdictione in Confessatio ad hæc peccata absoluenda, quam ad externa. Si ergo Superior neget hanc facultatem, non remanet iurisdictione in inferiori. Nec facit ad rem, quod Ecclesia non habet facultatem ad præcipiendos, vel prohibendos actus merè internos: quia in præsentia potestas non est ad peccata sed ad confessionem iurisdictionis in ordine ad absolutionem, quæ absolutio est actus externus. Sicut etiam Pontifex referuat sibi dispensationem voti meri interni circa aliquas materias.

7. Loquendo

nas à prim-
cipio Ref. 2.
& verè. Sed
vt cognos-
cat & in to.
5. tr. 8. Ref.
5. §. Notan-
dum est & in
Ref. 29. §. Et
tandem, &
seq. & ibi in
tr. 10. Ref.
93. in fine
verè. nam
Hæreticus,
& in tom. 2.
tract. 6. Ref.
171. §. re-
tum, à lin. 3.